

## V A L L V M.

five

## M V R V S P I C T I C V S.

Muni-  
menta li-  
mitibus  
Provin-  
ciarum  
Clusuras,  
quia ho-  
stes exclu-  
derent, &  
Prætentu-  
ras, quia  
hostibus  
præten-  
derentur  
scriptores  
vocarunt.  
vide P.  
Pithæum  
in Adver-  
sariis, Lib.  
x. cap. 14.



Vperiolem Cumberlandiæ par-  
tem interfecat, qui nullo modo  
tacendus est, Murus ille celebra-  
rimus, Romanæ provinciæ limes,  
Vallum barbaricum, Prætentu-  
ra, & Clusura, (sic enim antiqui  
vocarunt.) Dioni *Ἀλεξάνδρου*, Herodiano *Ἡρόδου*, An-  
tonino, Cassiodoro, & aliis VALLVM, Bedæ  
MVRVS, Britannis *Gual Sever*, *Gal-Sever* & *Mur  
Sever*, Scotis *Sottiswaith*, Anglis, & accolis *The  
Picts Wall*, sive *Pehits VWall*, id est, *Murus Picticus*,  
*The Keepe VWall*, id est, *Custodia Murus*, & per ex-  
cellentiam *The VWall*.

Cum Deo duce, virtute comite, ambitiosa  
Romanorum fortitudo rebus supra vota fluenti-  
bus, imperium ita undique prolataffet, ut sua  
ipsum magnitudo jam sibi suspectior esset, Impe-  
ratoribus visum est consultissimum limitibus qui-  
busdam circumscribere: viderunt enim pro pru-  
dentia magnitudini modum esse debere, ut *calum non ul-  
tra sua spatia procedit, & maria intra suos terminos agi-  
tantur*. Hi autem limites pro locorum ratione,  
aut à natura erant, ut mare, flumina majora,  
montes, terræ desertæ, aut ab arte, ut Præten-  
turæ, scilicet fossæ, castra, arces, concædes, val-  
la, & muri, per quæ militaria contra Barbaros  
disposita erant præsidia. Vnde in Theodosio  
Novellis, *Majorum dispositione vallo limitis ab incur-  
sione Barbarica defensatur, quicquid intra Romani nominis  
concluditur potestatem*. Ad hos limites in limitaneis  
castris & urbibus tempore pacis limitanei mili-  
tes egerunt, at cum finitimorum depopulationes  
timerentur, pars eorum ad agrorum tutelam in  
solo Barbarico per agros stationes habuerunt,  
pars in hostiles fines excurrerunt ut hostium mo-  
tus perscrutarentur, & occasione oblata pugna-  
rent.

Tit. 43.

Hinc sta-  
tiones  
agrariæ  
apud Ve-  
getium.

Prætentu-  
ra prima.

• Eden-  
borrow  
Frith. &  
Dunbrit-  
ten Frith.  
Prætentu-  
ra secun-  
da.

• militaris  
ut aliqui  
legunt.

In hac Insula Romani cum posteriores Britan-  
niæ regiones cælo & solo utique aspero & à bar-  
baris Britannis Caledoniis inhabitari viderent,  
in quibus perdomandis laboris plurimum, emo-  
lumentum parum admodum erat, varias variis tem-  
poribus Prætenturas ad provinciam limitandam  
& defensandam instituerunt. Primam posuisse  
videtur Iulius Agricola cum angustum terra-  
rum spatium inter \* *Bodotriam*, & *Glottam* præsi-  
diis firmavit, quod postea subinde communi-  
tum.

Hadrianus, cui Deus TERMINVS retro ces-  
sit, cum ille, incertum an ob invidiam, in Traja-  
ni gloriam, sub quo amplissime patuit Imperium,  
vel metum, in has insulas octoginta plus minus  
milliaribus recessisset, Prætenturam fecit secun-  
dam. Ille, inquit Spartianus, *Murum per LXXX  
mill. pass. duxit, qui Barbaros Romanosque divideret.*  
Quem ex stipitibus magnis in modum \* *muralis sepis  
funditus jactis, & connexis fuisse, ex subsequenti Spar-  
tiani*  
*Britannia.*

narratione colligi possit. Hic autem est de  
quo nunc agitur, per LXXX enim mill. pass. pro-  
currit, ad eum PONS ÆLIA, CLASSIS ÆLIA,  
COHORS ÆLIA, ALA SABINIANA, quæ ab  
Ælio Hadriano & Sabina ejus uxore nomina  
sumpserunt. Scotusque ille historicus qui *Rotam* Rota tem-  
porum scripsit, *Hadrianus*, inquit, *vallum por-  
tentosa molis ex cespitibus è terra excisis montis instar ab-  
tissima fossa ante adjecta à Tina ostiis ad Escam flu. à ma-  
ri Germanico ad Hibernicum usque Oceanum primus omni-  
um duxit. Quod iisdem verbis habet Hector Boe-  
tius.*

Lollius Urbicus Britannia sub Antonino Pio Prætentu-  
ra tertia.  
Legatus secundus præliis terminos iterum pro-  
movit usque ad primam illam quam instituit Iu-  
lius Agricola Prætenturam, & ibidem tertiam  
Prætenturam muro excitavit. Ille, inquit Capi-  
tolinus, *Britannos vicit, alio muro cespitibus submotis  
barbaris ducto, alius scilicet ab illo Hadriani. Cu-  
jus belli in Britannia confecti laudem Fronto  
(ut habet Panegyricus) Antonino principi dabat, &  
quamvis ille in ipso urbis palatio residens gerendi ejus man-  
dasset auspiciis, veluti longa navis gubernaculis præfiden-  
tem totius velificationis, & cursus gloriam meruisse testa-  
tus est. Verum hunc Antonini Pii, ejusque legati  
Lollii Urbici murum in Scotia fuisse infra doce-  
bitur.*

Cum autem Caledonii Britanni imperante Prætentu-  
ra quarta.  
Commodo hunc perripissent, Severus postha-  
bita ulteriori illa, & ingenti regione, munimen-  
tum per transversam insulam ab *Irune* æstuario,  
sive *Solwey frith* ad *Tina* ostium, sive *Tinmouth* duxit  
eo sane, si quid ego judico, loco, ubi suum ex sti-  
pitibus murum duxit Hadrianus, & juxta mecum  
sentit Hector Boetius. *Severus*, inquit, *jubet Ha-  
driani vallum restitui, propugnacula superaddi lapidea, &  
turres ea intercapedine ut tuba sonus vel adverso vento  
editus ex una, in alteram audiretur. Et alibi, Vallum  
ab Hadriano inchoatum, à Severo fuisse completum nostris  
Annalibus traditur. Doctissimus etiam Hispanus  
Hieronymus Surita, qui scribit *Munimen Hadriani  
magna munitionum mole à Sept. Severo longius VALLI  
nomine productum fuisse. Guidus item Pancirolus,  
qui Severum murum Hadriani collapsum tan-  
tum restituisse affirmat. Ille, inquit Spartianus,  
Britanniam, quod maximum ejus imperii decus est, muro  
per transversam insulam ducto, utrinque ad finem Oceani  
munivit: unde & BRITANNICI nomen accepit. Bri-  
tanniam quoad ei utilis erat, ut habet Aurelius Vi-  
ctor, pulsus hostibus muro munivit, &c. quæ Spartia-  
nus. Eutropius, Vt receptas provincias omni securi-  
tate muniret, vallum per XXXV, (emenda per LXXX,  
millia passuum à mari ad mare deduxit. Receptam scri-  
bit Orosius, partem insule à cæteris indomitis gentibus  
Vallo distinguendam putavit. Itaque magnam fossam,  
firmissimumque Vallum crebris turribus communitum per  
CXXII mill. pass. à mari ad mare duxit. Cum quo*  
Qqqqqq Beda*